

*testes ex auditu alieno.* — Quæritur IV. Utrum, et quando in probatione consanguinitatis, vel affinitatis, admittantur testes de auditu alieno? Resp. I. Quia antiquitus consanguinitas, et affinitas, usque ad septimum gradum dirimebat matrimonium; simulque ob brevitate vitæ humanæ difficile fuerat scire, sive proprio sensu percipere, quousque consanguinitas se extenderet: hinc olim necessitate sic urgente, in causis matrimonialibus, ac etiam contra valorem matrimonii jam contracti, admittebatur probatio consanguinitatis per testes ex auditu alieno; ut can. *de Parentela*. 35. quæst. 5. juncto c. *Licet ex quadam*. 47. § 1. h. t.

374. *Hodie tamen istud nonnihil est correctum; et cur? Ut de facto possint recipi testes de auditu alieno super causis matrimonialibus, requiruntur duodecim conditiones.* — Quia tamen experientia teste, exinde multa pericula contra legitima provenerunt matrimonia; prout observavit Concilium generale (seu Lateranense, sub Innocentio III, celebratum) a quo editum fuit cit. c. *Licet ex quadam*; simulque hodie impedimentum consanguinitatis non amplius extenditur ad septimum gradum, sed duntaxat ad quartum; hinc antiqui canones quoad hoc nonnihil sunt correcti, nec valet testimonium de auditu auditus ad probandam consanguinitatem, nisi observatis illis conditionibus, quas ponit idem Concilium generale ibidem relatam; et juxta Joan. Andream, Abbatem, et Summarium in d. c. *Licet ex quadam* h. t. ac Farinacium de Testib. quæst. 69. n. 105. et seqq. sunt duodecim. Unde:

375. I. *Ut testes illi sint personæ graves.* — Resp. I. Prima conditio requisita ad hoc, ut de cætero possint recipi testes de auditu alieno super causis matrimonialibus, est illa; videlicet, quod testes ita deposituri, « personæ graves existant, quibus fides sit merito adhibenda, » prout loquitur concilium generale loc. cit. Gravitas autem personæ desumitur ex gravitate morum, bonæque famæ et opinionis, sic ut censeatur fide digna. Glossa ibid. §. *Persona*. et Hostiensis §. *Gravis*.

376. II. *Et ante litem motam testificata didicerint.* — II. Testes illi debent deponere de his, quæ audierunt ante litem motam; juxta illud, quo in cit. c. *Licet ex quadam*. h. t. subjungitur: « Et ante litem motam testificata didicerint, » etc. Unde si deponerent de illis, quæ primum audierunt post litem mo-

tam, nullam fidem facerent, licet intervenirent omnes cæteræ conditiones, quæ ibi requiruntur: quia si vel una earum deficiat, tunc testes nullam penitus fidem faciunt. Mascardus de *Probat.* concl. 410. n. 7. et 8. post Hostiensem, et Innocentium in cit. c. *Licet ex quadam*, ubi et Barbosa in *collektan.* n. 2. h. t. citans arios.

377. III. *Et quidem ab antiquioribus suis.* — III. Quod testes audierint, seu « testificata didicerint ab antiquioribus suis. » Antiquioribus enim magna fides adhibetur, ut inquit Barbosa ibid. n. 4. post Tiraquellum de *Jure primogenituræ*, in præfat. n. 148 et seqq.

378. IV. *Nec ab uno tantum, sed pluribus.* — IV. Quod audierint non ab uno tantum: quia, sicut ille solus non sufficeret ad faciendam plenam fidem, etiamsi de scientia deponeret; ita nec sufficiunt plures testes de auditu, qui ab uno solo audierunt, seu gradus consanguinitatis didicerunt: ne plus credatur copiæ, quam originali, ut loquitur Card. Tuschus litt. T. concl. 180. n. 22. Unde subjungit ibidem concilium generale: « Non utique ab uno, cum non sufficeret ille, si viveret; sed duobus ad minus. » Ubi Glossa §. *Ab uno*, amplius hoc confirmat ex eo: quia omnes illi, qui causam habent ab uno, pro uno solo reputantur, arg. can. *Cito*. 4. qu. 1. et 1. *Cui fundus*. ff. de *Cond. et demonstrat.*

379. V. *Et quidem non infamibus et suspectis, sed fide dignis.* — V. Ut testes illi de auditu deponentes, non audierint gradus consanguinitatis « ab infamibus et suspectis, sed a fide dignis, et omni exceptione majoribus: cum satis videretur absurdum illos admittere quorum repellerentur actores: » prout loquitur concilium generale loc. cit. Nam sis, qui audivit aliquid ab alio, non potest superare fidem illius, a quo audivit, et cujus verba refert.

380. VI. *Atque deponant cum proprio juramento.* — VI. Testes ejusmodi debent deponere cum proprio juramento: alias non probant, juxta textum ibidem, ubi dicitur: « Testes proprio juramento firment, » etc. Et infra: *Nec tales sufficiant, nisi jurati deponant, »* etc. Ubi ponderando ly, « proprio juramento, » videtur pro forma, et ad terrorem aliorum, requiri proprium juramentum: adeo, ut non sufficiat jurare per procuratorem habentem speciale mandatum; prout docet Abbas ibid. n. 6. asserens ita tenere omnes doctores.

381. VII. *Et ad ferendum testimonium odio*

*amore, etc., non procedant.* VIII. *Testesque illi debent personas expressis nominibus, vel circumlocutione sufficienti exprimere.* IX. *Et ab utroque latere singulos gradus clare distinguere.* — VII. Ut testes illi « ad ferendum testimonium in causa ipsa odio, amore, timore, vel commodo non procedant. » Ita textus ibidem. VIII. Testes illi debent « personas expressis nominibus vel demonstratione, circumlocutione sufficienti designare. » IX. Ac etiam « ab utroque latere singulos gradus clara computatione distinguere; » ut loquitur textus ibid. Ubi tamen Glossa §. *Gradus*. et Barbosa n. 6. et Farinacius qu. 69. n. 417. istud intelligunt, dempto stipite: quia de isto non reperitur canon, sed tantum de lateribus; ac proinde sufficit incipere a fratribus, arg. c. *Tua nos*. 7. juncta Glossa §. *Vel germanis*. de *Consanguinit. et affinit.*

382. X. *Et in suo juramento concludere, se accepisse a majoribus quod deponunt.* XI. *Et se credere, ita esse.* — X. Debent testes illi « in suo nihilominus juramento concludere, se accepisse a suis majoribus, quod deponunt. » XI. Addenda simul, « se credere ita esse: » prout loquitur concilium generale. ibid.

383. XII. *Ac se vidisse, personas pro consanguineis se habere.* — XII. « Sed nec tales testes sufficiant, nisi jurati deponant, se vidisse personas, vel saltem in uno prædictorum graduum constitutas, pro consanguineis se habere. » Ita statuit concilium generale loc. cit. addita illa ratione: « Tolerabilius est enim, aliquos contra statuta hominum relinquere copulatos, quam conjunctos legitime, contra statuta Domini separare. » Nam in constitutionibus suis potest Ecclesia, sive Romanus pontifex, conditor canonum dispensare: non item in lege divina, posita de indissolubilitate matrimonii legitime contracti.

## § XII.

DE FAMA, ET QUALITER PROBETUR, AC PROBET?

384. *Fama vi nominis, et fama ut sic, quid?* — Viso de testibus ex auditu alieno, operæ pretium esse videtur etiam de fama tractare, utpote quæ ex auditu sumit originem. Fama siquidem a *fando*, sive loquendo sic dicta, vi nominis dicitur, quidquid de aliquo divulgatur, sive in bonam, sive in malam partem; ut inquit Calepinus in *Dictionario*. §. *Fama*. Unde Bartolus l. *De minore*. § *Plurimum*. n. 8.

de *Quæstion.* famam ut sic definiens, inquit: Fama est communis opinio voce manifestata, ex suspitione proveniens. Et hæc grosso modo dicitur, « Vox populi: » de qua loquendo.

385. *Fama in bonam partem accepta, quid?* — Quæritur I. Quid, et quotuplex sit fama, et quomodo differat a rumore? Resp. I. Fama in bonam partem accepta, est illæ sæ dignitatis status, moribus, et legibus comprobatus, ita textus in l. *Cognitionum*. ff. de *Variis et extrao. d. cogn.* ubi dicitur: « Existimatio est dignitatis illæ sæ status, legibus et moribus comprobatus, quæ ex delicto nostro auctoritate legum aut minuitur, aut consumitur. » Nam existimatio idem est, ac fama et opinio, ut inquit Glossa ibid. §. *Existimatio*.

386. *Proprie loquendo fama non dicitur nisi bona sit. Fama mala appellatur infamia.* — Et proprie loquendo, fama non dicitur, nisi bona sit: quia fama est argumentum virtutis, ut inquit Baldus c. *In Genesi*. n. 66. de *Election.* De qua loquitur S. Augustinus can. *Nolo*. 12. q. 1. relatus his verbis: « Duæ sunt res, conscientia et fama: conscientia necessaria est tibi, fama proximo: qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est. » Similia habentur can. *Non sunt*. 11. q. 3. Econtra vero fama in malam partem accepta, speciali nomine appellatur infamia, id est, famæ privatio; prout notat Glossa loc. cit. estque jam dictum supra, § 2. n. 29.

387 et 388. *Fama ut sic dividitur, in famam hominis, et famam inter homines; et quid?* — Resp. II. Fama ut sic dicitur et in famam homines. Ita Fagnanus c. *Vestra*, n. 27 de *Cohabit. cleric.* Bartolus in l. *De minore*. § *Plurimum*. ff. de *Quæstion.* Mascardus de *Probat.* concl. 749, n. 1. et alii. Fama hominis, seu (ut alii loquuntur) fama de homine est ea, de qua proxime dictum est, cuique convenit data definitio.

« Fama inter homines » sic dicitur respectu eorum inter quos viget, seu circumfertur: nec aliud est, ac publica seu communis insinuatio, vel proclamatio ex sola suspitione et certo auctore proveniens. Ita Ant. Nebrissensis in *Vocabulario juris*. §. *Fama*. Fagnanus loc. cit. n. 38. et alii.

389. *Fama an certo auctore provenire debeat?* — Etsi enim Speculator tit. de *Notoriis criminibus*. § *Fama est*, asserat, quod fama quandoque procedit ex scientia, quandoque ex suspitione, quandoque ex certo, et quan-

doque ex incerto auctore; ut can. *Sanctum est, de Consec.* dist. 4. ibi: « Sed incerto auctore fama commendat. » Ex quo canone Glossa c. *Qualiter et quando*. il. 2. §. *A malevolis. de Accusat.* infert, quod difficile est probare, famam ortam esse a malevolis; cum fama ab incerto auctore procedat, can. *Sanctum est, de Consec.* dist. 4. Nihilominus merito retinetur dictio illa, « et certo auctore procedens, » in definitione famæ proprie dictæ appositæ: idque tum ad differentiam rumoris, de quo infra: tum quia iudex, ut tollat omnem ambiguitatem, debet testes de fama deponentes interrogare, a quo, vel a quibus dici audierint, et ubi, et an sit fama recens; uti notat Baldus c. *Tua*. n. 3. *de Cohabit. cleric.* et amplius in progressu dicitur.

390. *Fama inter homines est duplex; et qualis?* Resp. III. Fama inter homines adhuc duplex est: una, qua de aliquo homine, puta Titio, in genere dicitur, quod sit bonus, vel malus, aut fur. etc. In qua acceptione sumitur fama cit. l. *D. minore*. §. *Plurimum*. ff. de *Quæstion.* dum inter alia jubetur investigari, « Cujus existimationis quisque in civitate sua est. » Altera vero, quæ est de aliquo facto particulari cujuscumque: ut puta, qua dicitur inter homines communiter, Titium commisisse tale furtum, homicidium, aut hujusmodi. Et hoc modo accipitur fama in l. 3. §. *Ejusdem quoque* ff. h. t. ibi: « Alias veluti consentiens fama confirmat rei, de qua quæritur, fidem. » Bartolus cit. §. *Plurimum*. n. 7. Mascardus d. concl. 749. n. 4. et alii.

391. *Fama super facto aliquo particulari, potest ratione suæ originis tripliciter distingui.* — Resp. IV. Fama hujusmodi, seu super facto aliquo particulari exorta, ratione suæ originis, potest adhuc tripliciter distingui. *Primo*, ut est vana vox vulgi, et rumor in populo, quæ nullos habet certos auctores, nec causas seu rationes probabiles ad sic credendum: et talis fama non est attendenda, l. *Decurionum filii. C. de Pœnis*, et c. *Osius episcopus. 2. de Election.* junctis concordantiis a Glossa ibid. §. *Populi*, relatis. *Secundo*, ut oritur ab aliquibus malitiosis, suspectis, aut proprio commodo, suæque utilitati studentibus: et hæc pariter fama non est attendenda, c. *Qualiter et quando. 24. de Accusation.* ibi: « Si per clamorem, et famam ad aures superioris pervenerit, non quidem a malevolis et maledicis, sed a providis et honestis. » Tertio prout fama traxit originem a

personis fide dignis, gravibus, et de quorum commodo non agitur, sed apparet, ex qua ratione et causa fama ortum habuerit, cit. c. *Qualiter et quando. 24. de Accusation.* et c. *Licet ex quadam. 47. h. t.* ibi: « Nec ab infamibus et suspectis, sed a fide dignis » didicerint. Et de fama hoc tertio modo considerata, impresentiarum est sermo.

392. *Fama differt a rumore, et quomodo? Rumor, quis?* Resp. V. — Fama aliter accepta multipliciter differt a rumore. Nam fama proprie est, quando tota civitas, vel vicinia, seu major pars populi aliquid asserit. Rumor autem est, quando aliqua pars minor, puta, media, tertia vel quarta pars ita loquitur. Abbas c. *Super eo*, n. 3. *De eo qui cognovit consang.*; Speculator tit. *de Notoriis criminibus.* §. *Nunc de rumore*. n. 1. Nebrissensis in *Vocabulario juris*. §. *Rumor*, et alii. Deinde fama, saltem proprie dicta, procedit a certo auctore; puta, quando est orta a certis et honestis personis, quæ dixerunt in populo, se quid vidisse, et interfuisse: Rumor autem, est ab incerto auctore. Baldus cit. c. *Tua*. n. 4. *de Cohabit. cleric.* Fagnanus d. c. *Vestra*. n. 44. cod. *Tertio*, minus probat rumor, quam fama: hæc enim est communis assertio; rumor vero, cum pauci aliqui dicunt, et ideo non probat, sed solam suspicionem, et præsumptionem inducit. Nebrissensis loc. cit. Insuper fama vires suas eundo, et perseverando extendit, juxta illud Virgilii *Æneid.* IV, vers. 174 et 175.

Fama malum, quo non aliud velocius ullum,  
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo.

Rumor e contra quandoque cito deficit, l. ult. ff. *de Hæredib. instituend.* Hinc rumor definitur a Speculatore, et Nebrissensi, loc. cit. et aliis, quod sit particularis assertio, ex incerto auctore, et sola suspitione proveniens.

393. *Quæ requirantur ad hoc, ut fama probe- tur? Fama debet esse uniformis, solida, constans et perpetua; non vaga, levis, aut contraria.* — Quæritur II. Quæ requiruntur ad hoc, ut fama probe- tur? Resp. I. Ad hoc, ut fama habeat vim quamdam probandi, plura requiruntur, ac præsertim sequentia. I. Ut fama sit uniformis, solida, constans et perpetua; non autem vaga, levis, aut contraria, seu contrariis allegationibus conquassata: quia alioquin non constaret, qualis fama fuerit, quidque asseveraverit. Baldus consil. 275. vol. I. Sperellus decis. 173. *Fori ecclesiastici*, n. 37.

post Rotam decis. 335. n. 5. part. II. Recent. Rolandum consil. 3. n. 49. lib. I. et alios. II. Requiritur, quod fama originem duxerit a personis honestis, et fide dignis, c. *Qualiter et quando. 24. de Accusation.* cum similibus. III. Quod constet, seu per testes legitime probetur, famam ex probabilibus causis originem duxisse, quæ populum inducere poterant ad sic credendum, et dicendum: alias enim non esset fama, sed vana vox populi, quæ attendi non debet, l. *Decurionum filii. c. de Pœnis*. Hæc duæ posteriores conditiones ut melius intelligantur.

394. *Fama potest probari per duos testes. Testes illi debent esse spectatæ fidei, seu omni exceptione majores.* — Resp. II. Fama potest probari per duos testes spectatæ fidei, atque integræ opinionis, seu (ut alii loquuntur) omni exceptione majores. Ita Glossa in l. 3. §. *Confirmat.* ff. h. t. dicens, quod fama probatur per duos testes, cum jurant majorem partem populi ita sentire. Bartolus l. *De minore*. §. *Plurimum*. n. 19. *de Quæstion.* Felinus c. *Tertio loco*. n. 4. *de Probation.* Jul. Clarus in *Practic. crimin.* §. fin. quæst. 6. nu. 11; Farinacius lib. II. *Praxis criminal.* quæst. 47. n. 208. 210. et seqq. Menochius lib. VIII. consil. 701. n. 49. Mascardus *de Probat.* concl. 750. n. 1. allegans communem. Et habetur c. *Inquisitiones. 21. §. Quæsitum de Accusat.* ubi fama censetur probata per duos, vel tres testes. Concordat c. *Licet universis. 23. h. t.* et c. *Cum esses. 10. de Testament.* ubi allegatur illud Dominicum: *In ore duorum, vel trium testium fiat omne verbum.* Quod autem testes illi debeant esse spectatæ fidei, seu (ut loquitur Menochius cit. n. 49. et Farinacius d. n. 210. cum aliis) omni exceptione majores, patet ex c. *Qualiter et quando. 24. de Accusat.* et c. *Licet ex quadam. 47. h. t.* quorum verba n. 391. referuntur.

395. *Testes deponentes de fama debent deponere quod ita audierint dici a majori parte populi.* — Resp. III. Testes deponentes de fama debent inter alia deponere, quod audierint ita publice dici a majori parte populi: alioquin non probarent famam. Ita Glossa loc. cit. Bartolus cit. n. 19. Mascardus n. 1. et 2. allegans alios. Ratio est: tum quia testes, ut probent, debent reddere rationem dicti sui, per sensum corporeum; puta, quia audierunt sic dici a majori parte populi, ut dictum supra §. præc. n. 342. et 343; tum quia fama non inducitur, nisi a majori parte populi; ergo etiam testes de ea deponentes

tenentur jurati dicere, se audivisse ita publice dici a majore parte populi. Unde non sufficit deponere, quod audierint ita publice dici (posset enim contingere, quod unus solus id publice dixisset) sed necesse est testificari, ita fuisse dictum a majori parte populi.

396. *Populi nomine qui hic intelligantur? In negotiis tamen parvis sufficit fama vicinæ.* — Cæterum nomine majoris partis populi, hic non semper venit intelligenda major pars totius multitudinis hominum in tali loco, vel vicinia quomodocumque existentium: sed id est accipiendum in sensu accommodo, videlicet pro majori parte eorum, qui hoc scire poterant, et ad quos spectabat istud scire. Bartolus cit. §. *Plurimum*. n. 12. Mascardus d. concl. 750. n. 8. et alii. Sic, ubi quæritur de fama super peritia alicujus, vel ejus scientia, sufficit esse famam inter peritos, et discipulos talis artis, aut scientiæ, a majori parte sic dicentes; puta, inter legistas, si quæritur de fama legistæ; vel inter canonistas, si de canonista, et hujusmodi unde Glossa l. *Cum quidam*. §. *Sed si scit*, ff. *de Acquirend. hæredit.* in simili ita loquitur: « Sed si scit, multorum opinione, qui hoc scire possunt. » Concordat textus l. *In ratione*. §. *Quod vulgo dicitur*. ff. *Ad legem Falcid.* ubi ly, « quod vulgo dicitur, » nequit verificari, nisi inter sapientes et studentes, qui jus illud scire possunt et debent, prout argumentatur Bartolus, ubi supra.

Deinde ex eo, quod fama oriatur nomini ex communi opinione eorum, ad quos spectat scire, infertur, quod testes super ea deponentes in negotiis magnis, debeant testificari, famam esse totius civitatis, utpote ad quam pertinet scire negotia ardua, vel saltem majoris partis ejus: secus in negotiis parvis, nam in his sufficit fama vicinæ, seu illius universitatis, ad quam de hoc scire spectat. Bartolus loc. cit. n. 12. id probans ex c. *Illud, de Præsumpt.* et l. *Cum quidam*. §. *Quod dicitur*. ff. *de Acquirend. hæredit.* et sequitur Mascardus cit. concl. 750. n. 9, allegans in super Salycetum in l. *Ea quidem. C. de Accusation.*

397. *Testes de fama tenentur exprimere certas personas, saltem duas; a quibus audierunt.* — Resp. IV. Insuper testes super fama deponentes, ac interrogati, tenentur exprimere certas personas, saltem duas, a quibus audierunt, quamvis de aliis non amplius recorderentur. Ita Menochius cit. consil. 701. n. 50.